



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

8. Summi Apostolatus &c. Pro recta justitiæ administratione, & litigantium,  
præsertim pauperum, utilitate de visitandis Causidicorum, & Notariorum  
officiis publicis, archivis, & curiis forensibus ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

D. 10. Dec. 1725. P. A. secundo.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, quarto Idus Decembris, Pontificatus Nostri anno secundo.

Loco † Plumbi.

P. Card. Prodaturus.

F. Card. Oliverius.

Visa de Curia J. Archiepiscopus Ancyranus,

Lucas Martinettus.

VII.

Constitutio Apostolica qua BENEDICTUS XIII. declarat & præcipit omnibus & singulis Congregationibus Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Indiarum, & Lusitaniæ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum ut inter ipsas servetur uniformitas in Cantu Gregoriano, Rasura Barba, & Caputio Rotundo.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Declarat & præcipit ut in rubr.

§. 1. **C**um, sicut accepimus, inter dilectos Filios Fratres Congregationum Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Indiarum, & Lusitaniæ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum multiplex, & magna diversitas tam circa recitationem Divini Officii in Choros, quod in quibusdam Conventibus, & Regionibus cum Cantu, & nota celebratur, quam circa Habitum Regularem introducta sit; Quidam enim Religiosi Caputio Rotundo, alii vero acuminato utantur, ac denique alii Barbam oblongam deferant, alii è contrâ eam totaliter radant. Nos, ut uniformitas in his omnibus ex commissi Nobis cœlestis Pastoralis Officii nostri debito servetur, providere cupientes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, dilectis Filiis Vicariis Generalibus, Provincialibus, & Conventualibus Prioribus, ac universis Fratribus Discalceatis Ordinis, & Congregationum hujusmodi, ut tam ipsi, quam cæteri omnes, & singuli eorundem Congregationum Religiosi Professi uniformitatem in Cantu Gregoriano, Rasura, & Caputio Rotundo omnino servare teneantur, harum serie præcipimus, & mandamus.

Clausule præservati-væ.

§. 2. Decernentes ipsas præsentis Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari, seu in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci posse.

Decretum irritans.

§. 3. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definitum debere, ac irritum, & inane si secus super his

à quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Ordinis, & Congregationum hujusmodi, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Derogationes.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrâ adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Januarii 1726. Pontificatus Nostri anno secundo.

D. 22. Januarii P. A. secundo 1726.

F. Card. Oliverius.

Copia hac cum suo Originali concordat de verbo ad verbum, in cuius rei fidem Nos subscripsimus. Fr. EUSTACHIUS A SANCTA AGNETE, Procurator Generalis Augustinorum Excalceatorum Congregationis Gallicane. Roma 2. Febr. 1726.

Pro recta justitiæ administratione, & litigantium, præsertim pauperum, utilitate de visitandis Causidicorum, & Notariorum officiis publicis, archivis, & curiis forensibus universis per S. R. E. Cardinalem, quolibet decennio eligendum: cui muneri obeundo nunc deputatur Eminentissimus Dominus Cardinalis Vincentius Petra.

VIII.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. **S**ummi Apostolatus officium, divinitus humilitati nostræ commissum, eam sollicitudinem nobis imponit, ut per Antecessorum Nostrorum vestigia incurrentes, præter fructuosam Dominici agri culturam, negotia pariter, quæ in hujus almæ Urbis Nostræ publicis Magistratibus, judiciariis tribunalibus, & curiis forensibus per Notarios, Cursores, causarum Procuratores, & quoscumque Actuarios geruntur, incorruptè, sincerè, & minori, quo fieri potest, litigantium dispendio & incommodo, majorique eorundem tribunalium, totiusque generalis curiæ decore, atque ornamento peragantur, ut litibus ad finem optatum perductis, ipsi litigantes ab indebitis vexationibus, assidueque molestiis atque impensis tandem liberi evadant.

Summus Pontifex litigantium vexationes tollere satagit.

§. 2. Hæc nobis cogitantibus recti viri & justitiæ percipidi per suos libellos supplices, non sine magno animi nostri dolore, significandum curarunt, quorundam paucorum

Diuturnæ litium ambages, & subterfugia omnino abolenda.

calli-



calliditates, nullo pacto ferendas, eò devenisse, ut in eisdem forenses curias, ac tribunalia urbana, licet probis & spectatis viris frequentia, sensim irrepserint: quæ, nisi illis mox occurratur, inmodico iustitiæ detrimento eo respicere videntur, ut litigantes diutissime exagitent, litæque, eorum artibus per varias ambages in foro circumductæ, dolosis subterfugiis interminabiles & perpetuæ reddantur, ita ut exiguum nummorum alteri credam summam recuperaturus, diuturno iudiciorum gyro irretitus, deque foro in forum translatus, summam, sibi debita longè majorem, impendere, & per sepe, quod dolentes dicimus, à pecuniis & amicis imparatus, ob angustiam rei familiaris in desperationem adactus iustam causam proflus deserere, & rem suam amittere cogatur.

Clemens XI. Pont. Max. ut fraudes forensis evelleret, generalem visitationem curiarum & officiorum faciendam decrevit.

§. 3. Hæc quam dedecant tabellionum & caudicorum nomina, quibus fides alieni juris commissa est, serid Nos pendentes, deque fori & curiæ urbanæ honore solliciti, quæ toto orbe suspiciente, viris integerrimis, scientia & probitate conspicuis, sub Pontificibus Antecessoribus Nostri maxime floruit, Ecclesiasticis appellationum causis, celerrime expediendis ex universis Christianorum provinciis ad eam confluentibus; ne unquam, Nobis ipsis videntibus, pauci, suo nomine proflus indigni, cæterorum probitatem & virtutis famam dehonestare videantur, gliscenti malo consulere decrevimus, cui alias felicitis recordationis antecessor Noster Clemens XI. pro sua sapientia consulere studuit. Is enim; ut hac in re publico bono prospiceret, fraudesque omnes in damnum litigantium latentes, vel emergentes, funditus evelleret, suo speciali decreto, seu rescripto, dato die 1. Decembris anni 1702. dilectum filium Galeatium Sacræ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyterum Cardinalem Mariscottum nuncupatum, virum cana fide, iustitiæ zelo, rerum usu, cæterisque virtutibus commendatum, deputavit, qui singulas forenses curias, & publica officia sedulo inviseret, quemadmodum vigilantissimo studio, nec dispari pietate & religione, quindecim mensium spatio præstitisse comperitus est.

IIIV

Nova singulis decennis curiarum, & officiorum forensium visitatio per S. R. E. Cardinalem faciendâ.

§. 4. Sed cum raro contingat, ut inter triticum zizania & lolium non pullulent ac succrescant, Nos iterum eo rem processisse intelleximus, ut corruptelæ postmodum introductæ nova remedia ex pastoralis munere Nostro vehementissime flagitent. Idcirco ad republicæ utilitatem, incorruptæque iustitiæ normam sancte custodiendam, mentis Nostræ oculos paterna caritate intendentes, præmissorum consideratione, populis imperio sancti Petri subiectis, ac quorumcumque litigantium indemnitate & solatio, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, motu proprio, ex certa Nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præsentibus Apostolicis Litteris Nostri decernimus & sancimus, singulis decennis per Nos & successores Nostros Romanos Pontifices, aliquem ex venerabilibus fratribus Nostri Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, doctrina & rerum peritia insignem, diligendum, qui auctoritate Apostolica, tantæ rei necessaria, plenissime instructus, & huic muneri aptus, curias iudicarias visitet, ac diligentissime recognoscat, an decreta, & sanctiones, de iis bene gerendis per Romanos Pontifices antecessores Nostros editæ, impleantur, novosque abusus, si qui sint, tollere satagat, prout ejus prudentia opportunum censuerit.

Modus visitationis quomodo faciendus.

§. 5. Hujusmodi autem generalem visitationem formalem & materialem, omnium & sin-

gularum archiviorum, omniumque, & quorumcumque officiorum, & curiarum, in urbe existentium, cum facultatibus necessariis & opportunis reformandi, corrigendi, statueri & decernendi peragere valeat. Ad hæc, omnia & singula Notariorum cujuscumque curiæ, tribunalis & magistratus tam Ecclesiastici, quam secularis; Secretariorum Camera Apostolicæ, cursorum & mandatariorum officia, per seipsum visitare, inspicere, sibi que omnia exposita & patefacta rimari & contrectare possit, diligentissime exploraturus scripturas, codices, & earum folios & pliateos, ut plenè videat, an ea, qua decet fidelitate observentur, suæque executioni mandentur ordinationes, ab Antecessoribus Nostri vulgata, præsertim vero quæcumque idem Cardinalis Mariscottus in jam dicta visitatione sua observanda mandavit.

Cardinalis Visitator quid facere debeat.

§. 6. Ad eundem pariter Cardinalem Visitatorem, nunc & in posterum deputandum, pertinebit extrajudiciales informationes, quibus exactè instruat, accipere, & querere etiam, utrum recursus ad Nos facti, eidemque Cardinali communicandi, vel alii, durante visitatione, faciendi, circa quoscumque abusus & defectus in eisdem curias introductos, vel introducendos, iustitiæ & terminationi causarum, præsertim pauperum litigantium, ob futuros, vere inolefcere, & exilire comperiantur. Quos si Cardinalis visitator veros esse deprehenderit, vel fortasse alios etiam sine cujuscumque recurfu, in rebus iudicariis vigere observaverit, eidem incumbere volumus, ut de personis, actisque secreto edoctus, unde ejusmodi abusus, debitum iustitiæ cursum pro pauperum litigantibus impediens, oriantur, eos omnino tollere valeat, decretisque & statutis suis opportunis prospicere, ne amplius introducantur. Notarios quoque, substitutos, cursores, mandatarios, & caudicos, cæterosque in dolo repertos ad tempus ab officio sine ordine iudiciario, & ex conscientia informata, suspendere possit; si que perpetua suspensione opus fuerit, de hoc Nos vel Successores Nostros Romanos Pontifices monitos reddat. Quod etiam factum volumus quotiescumque crimina, quibus gravior pœna debeat, in eadem visitatione detegantur. Denique Cardinalis Visitator oculata cognitio & circumspexa prudentia Nobis Nostrique Successoribus suggerere debeat quidquid amplius tanta res pro bono republicæ, & populi Nobis commissi tranquillitate postulare videbitur.

Aliæ facultates Cardinalis Visitatoris.

§. 7. Ut autem celerius & expeditius, quo fieri potest, vota Nostra, iustitiæ & æquitatem respicientia, suum exitum consequantur, Cardinali Visitatori facultatem impertimur mandata quæcumque, etiam vivæ vocis oraculo ex Nobis accepta, illis, ad quos pertinebit, referendi, & oretenus per Nos imperata executioni mandandi; quibus relationi & mandatis, jussu Nostro factis, plenam & indubiam fidem ab omnibus adhiberi, & firmiter obtemperari, tanquam mandatis Nostri Apostolicis, omnino volumus & jubemus. Præterea eidem Cardinali, omnium curiarum visitatori, facultatem his Litteris Nostri concedimus eligendi pro eadem visitatione materiali & formali alios convitatores rerum peritos, seu Prælatos, seu forenses & curiales viros, suo arbitrio, pro diversitate curiarum visitandarum, mutandos: qui convitatores suffragio consultivo in rebus & casibus ex arbitrio Visitatoris pendentibus, potiantur. Idem etiam Cardinalis Visitator sibi Notariorum in munere cancellarii sumat, & Cursores, quos ex quacumque curia sibi sumendos judicaverit, eorumque opera in visitatione utatur ad conscribenda, & quibus opus fuerit nuncianda decreta & acta: eisdemque Notariorum & Cursorum pro arbitrato suo mutabit secundum curiarum diversitatem. Idem porro





Notarius & Curfor à Cardinale Visitatore secum assumpti, exactè & fideliter suum munus in visitatione exequantur, pro laboribus suis debitam mercedem accepturi. Tota autem visitatio intra annum compleatur, ab initio ejus computandum, Nobis reservata facultate eam prorogandi, ut res postulare videbitur.

Amplissimus  
Cardinalis  
Petrus primus  
Visitator de-  
putatus.

§. 8. Jam vero primum hujusmodi Visitatorem, præmissis facultatibus, muneri opportunis, instructum, post maturam deliberationem, unum ex pluribus per Nos putavimus eligendum, dilectum filium Nostrum Vincetium Sacræ Romanæ Ecclesiæ tituli Sancti Onuphrii Presbyterum Cardinalem Petram nuncupatum, virum utraque jurisprudentia eximium, pari animi virtute atque integritate præstantem, rerum experientia & consilio apud recolendam memoriæ decessores Nostros, in quoque Innocentium XII. & XIII. & eo amplius apud Clementem XI. Nosque ipsos, in plerisque hujus Romanæ Sedis gravibus negociis adhibitum & probatum, quodque hac in re magni refert, olim in curia forensi judicem. Hic ergo auctoritate Nostra munitus easdem curias visitabit, quæque corrigenda, emendanda, & moderanda censebit, emendare, corrigere, & moderari sataget, & litigantium utilitati, juxta animi Nostrum sensum, propensamque ad sublevandos populos Nostros voluntatem, consulat, volentes, ut quæcumque ab eodem Cardinali Visitatore decreta, statuta, emendata, correctæ, ordinatæ fuerint in præmissis, ea inviolabiliter observentur, idemque firmitatis robur obtineant, quod illis inesset, si Nos ipsi eadem mandavissetus.

Claustule  
derogatoriæ  
hujus Con-  
stitutionis.

§. 9. Præsentibus vero Apostolicis Literis Nostras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vicio, aut intentionis Nostræ, vel quovis alio defectu, etiam ex eo, quod forsitan rem habentes ad id vocati non fuerint, vel ex quacunque alia causa, quantumvis legitima & juridica, ac etiam necessario exprimenda, notari, impugnari, aut in jus vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel sub quibuscumque aliis constitutionibus & Literis Apostolicis in contrarium, etiam pari motu, & consistorialiter editis, vel edendis, aut aliis quomodolibet contrariis dispositionibus, nullatenus comprehendi posse, sed validas & efficaces semper fore & esse volumus: sique, & non aliter per quoscunque iudices, etiam causarum palatii Apostolici auditores, & S. R. E. Cardinales, subblata eis, & eorum cuilibet, aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiti debere, & quidquid secus super his à quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane, decernimus; non obstantibus eorumdem officiorum, archiviorum, & curiarum forensium erectionibus, constitutionibus Apostolicis, aliisque earumdem curiarum reformationibus, statutis, consuetudinibus juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis & renovatis: quibus omnibus, aliis in suo robore permanentibus, hac vice speciatim & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

D. 4. Febr.  
1726. P. A.  
secundo.

Datum Romæ apud S. Petrum pridie nonas Februarias anno Dominicæ Incarnationis millesimo septingentesimo vicesimo sexto, Pontificatus Nostrum anno secundo.

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Cardinalis Oliverius.

Visa De CURIA J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Bullar. Rom. Continuat. Pars II.

Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vicesimo sexto, Indictione quarta, die vero 19. mensis Februarii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divinâ Providentiâ Pape XIII. Anno secundo Supradictæ Litere Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis per me Franciscum Bartolottum Apostolicum Cursorem.

Nicolaus Capellus Magister Curforum.

Regulare & claustrale institutum professos omnino prohibens quacunque de causa transire ad profitendam regulam alterius ordinis, in quo regularis & claustralis observantia non vigeat: item cujuscumque ordinis hospitalarii, aut militaris, vel etiam hospitalarii simul & militaris, licet in eis regularis & claustralis observantia vigeret. Facultas hujusmodi transitus imposterum concedendi reservatur uni summo Pontifici, præterea nemini.

IX.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam  
rei memoriam

§. 1. Licet sacra Tridentina Synodus, ut integrati disciplinæ regularium prospiceret, provido consilio statuerit, neminem cujuscumque ordinis Prælatum, vel Superiorem vigore cujusvis facultatis aliquem ad habitum & professionem admittere posse, nisi, ut in ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustris perpetuo maneat: & licet Pius Papa Prædecessor Noster Constitutionem ediderit, qua omnia privilegia abrogavit, quibuscumque ordinibus, monasteriis hospitalibus, & locis piis olim concessa, excipiendi & retinendi Fratres, Monachos, Canonicos, aliosque, quavis in ordine mitiori professos; prohibendo, ne illi imposterum ad habitum & professionem regularem admitterentur, etiam perpetuo manere & vivere deberent in claustris; nihilominus viri pietate & prudentia conspicui Nobis exposuerunt, se longa experientia didicisse, nosque ipsi, qui, Deo favente, hac ipsa die regulare institutum Ordinis Prædicatorum in adolescentia professi fuimus, & adhuc profitemur, sæpe longo usu cognovimus, prædictas sanctiones & cautelas pro recta ordinum regularium disciplina, adversus calliditatem & malitiam hominum tuenda, parum sufficere. Siquidem compluries contigit, & in dies contingere videmus, quospiam, ordinis regularis, & claustralis institutum professos, deinde postquam illud apostasia deseruerunt, vel etiam aliquando sine apostasia, peculiare ob causas, ejusmodi transitus facultatem postulare & impetrare consuevisse à propriis Superioribus, se privilegium subditis suis regulariis eundem transitum ad alias religiones concedendi, habere jactantibus; vel ejusmodi facultatem sibi dari procurare à S. R. E. Cardinalibus Legatis, vel ab ejusdem Ecclesiæ Cardinali majori Pœnitentiario, & non raro à Nostræ civitatis Avenionensis Vicelegato, vel ab alterutra ex Congregationibus venerabilium Fratrum Nostrorum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negociis Episcoporum & Regularium præposita, & sacri Concilii Tridentini interpretum. Quæ facultas transeundi ad profitendam regulam alterius

Quid Tri-  
dentina Sy-  
nodus, &  
Sanctus Pius  
V. statuerit  
de recipien-  
dis ad profes-  
sionem regu-  
larem.

Sessio XIV.  
cap. II.  
Sessio XXX.  
cap. 29.

Conf. XXXIX.